

0-771.

1795 8

33

ORDINIS IVRIDICI

IN

ACADEMIA WITTEBERGENSI

H. T.

DECANVS

GOTTLIEB WERNSDORFFIVS

PHILOSOPHIAE ac IVRIVM DOCTOR, INSTITVTIONVM
IMPERIAL. PROF. PVBL. ORD. CVRIAE PROVINCIALIS,
SCABINATVS ET FACVLTATIS IVRIDICAE
ASSESSOR

LECTORI BENEVOLO SALVTEM.

ORDINIS IURIDICI

— IN —

ACADEMIA WITTENBERGENSIS

— ET —

DECANVS

GOTTFRID WERNSDORFF

PHILOSOPHIAE ET IURIS DOCTOR, PRAEPOSITVS

INSTITVTI IURIS CIVILIS ET HISTORIAE

SCIENTIARVM ET ARTIVM WITTENBERGENSIS

ACADEMIAE

LECTORI REGIO



Est agitata saepius inter Iure Consultos quaestio, quodnam pretium partibus placuisse videatur, si res ex pacto de retrouendendo priori venditioni adiecto, iam ad priorem eius dominum heredesue eius redire debeat, nullum tamen certum in hunc ipsum casum pretium definitum fuerit. Sunt enim plures, qui docent, pretio nondum definito, id deberi, quanti res venire posset eo tempore, quo ex ipsius conventionis lege reddi debet. Alii autem illud pretium emtori soluendum esse censent, quod partibus in ipsa prima venditione, cui pactum de retrouendendo accessit, placuit, ita tamen ut emtor praeter hoc ipsum pretium id etiam accipiat, quod, ut res melior fieret, erogauit, si haec ipsa utilitas retrouenditionis tempore adhuc existat. Illam teneant sententiam ANDREAS TIRAQUELLVS, a) MATHIAS BERLICHIVS, b) HENRICVS ZOESIVS, c) ANTONIVS PEREZIVS, d) IOANNES BRVNNEMANVS, e) AVGVSTINVS LEYSERVS, f) CAROLVS FERDINANDVS HOMMELIVS, g) aliique plures; h) hanc FRANCISCVS ZOANNETVS, i) BENEDICTVS CARPZOVIVS, k) WOLFF-

A 2

GANG

- a) ANDR. TIRAQUELLVS de Reractu conuentionali, §. 1. Gloss. 3. n. 2.
 b) MATTH. BERLICH. in Concl. practic. L. II. Concl. II. n. 39.
 c) HENR. ZOESIVS in Comment. ad Pandect. Lib. XVIII. Tit. III. n. 18. et in Comment. ad Codicem, Lib. IV. Tit. LIV. Quaest. 12.
 d) ANT. PEREZIVS in Praelect. ad Cod. Lib. IV. Tit. LIV. n. 16. et 17.
 e) IO. BRVNNEMANN. ad L. 2. C. de Pactis inter emr. et vend.
 f) AVG. LEYSER. in Med. ad Pand. Spec. CXCI. Med. 9.
 g) CAR. FERD. HOMMEL. in Rhapsod. Obf. CCCXXVI.
 h) IO. GODOFR. SCHAVMEVRG. in Comp. Iur. Dig. Lib. XVIII. Tit. I. §. 21.
 IO. AVG. HELLFELD in Iurispr. forensi, §. 999. ERN. GODOFR. SCHMIDTIVS in libro, cuius Titulus est: Theoretisch-practischer Commentar über seines Vaters D. IO. LVD. SCHMIDTS practisches Lehrbuch von gerichtlichen Klagen und Einreden, T. IV. §. 910.
 i) FRANC. ZOANNETVS in Tr. de emtione venditione, n. 117. in Eiusd. Operibus, quae Marpurgi prodierunt, Ao. clolcc. p. 234 sq.
 k) BENED. CARPZOVIVS in Def. for. P. I. Const. I. Def. XXII.



GANG ADAMVS LAVTERBACHIVS, l) GEORGIUS ADAMVS STRY-
VIVS, m) SAMVEL STRYCKIVS, n) IOANNES VOETIVS, o) IOANNES
HENRICVS BERGERVS, p) IVSTVS HENNINGIVS BOEHMERVS, q)
SAMVEL COCCEIVS, r) MICHAEL GODOFREDVS WERNHERVS, s)
et alii. t)

Haec ipsa quaestio, cum legibus nondum decisa sit, hodie
eitam iudicia saepius exercet, si nullum certum retrouenditioni pretium
partes definiuerint, et res omnis ad iudicis veniat arbitrium. Hinc
non inutilem nos suscepturos fore arbitramur operam, si, hac ipsa
nobis oblata grata scribendi occasione, pauca de hac ipsa quaestione
dissuerimus.

Mirum autem non est, in dirimenda hac ipsa quaestione Iu-
reconsultos in diuersas partes abire, cum verum omnino sit, quod
CICERO v) dicit, sublato iure ciuili nihil omnino esse, quod aequa-
bile inter omnes, atque vnum omnibus esse possit, denique necessa-
rium sit, vt ex diuersis vnus eiusdemque rei definitionibus, diuersae
etiam consecutiones oriantur: leges autem in hac ipsa re nihil defi-
niant, imo paucioribus in locis, huius, de quo disputamus, pacti
mentionem faciant, x) sintque plures Iureconsulti, qui vnicum in to-
to

l) WOLFFG. AD. LAVTERBACH. in *Coll. Pand.* Lib. XVIII. Tit. I. §. XCVII.
m) GEORG. AD. STRYVIVS in *Iurispr. Rom. Germ.* Lib. III. Tit. XI. §. XVIII.
et in *Synagm. Iur. Civ. Exerc.* XXIII. §. XLV.

n) SAM. STRYCKIVS in *Vsu mod. Pandect.* Lib. XVIII. Tit. I. §. XXXIV.

o) IO. VOETIVS in *Comm. ad Pandect.* Lib. XVIII. Tit. III. §. 7.

p) IO. HENR. BERGERVS in *Resp. P. H. Resp.* XVIII. et in *Occ. Iur.* Lib. III.
Tit. V. Th. VIII. n. 4.

q) IVST. HENN. BOEHMER. in *Introd. in Ius Pandect.* Lib. XVIII. Tit. I. §. 34.

r) SAM. COCCEIVS in *Iure Conyrouers.* Lib. XVIII. Tit. I. Quaest. 38. et 40.

s) MICH. GOD. WERNHER. in *lect. Comment. ad Pand.* Lib. XVIII. Tit. I. §. 34.

t) CHR. THOMASIVS in *Diss. de Vsu practico accuratae distinctionis inre-
emtionem cum pacto de retrouendendo, et contractum pignoratitium,*
Cap. III. §. 1.

v) CICERO in *Orat. pro Caecina*, c. XXV.

x) CAR. F. WALCHIVS in *Diss. de Retrouenditione a laudemii onere libera*, §. 6.

to iure Romano locum esse putant, in quo de venditione sub pacto de retrovendendo inita agatur, scilicet *L. 2. C. de Pactis inter emtor et vendit.* y) et inter hos nonnulli, qui ne hunc quidem locum ad pactum de retrovendendo, sed ad pactum de re vendita et iam tradita, citra retrovenditionem restituenda, quod ab illo diuersum esse opinantur, pertinere censeant, z) denique non omnibus Iureconsultis vna eademque placeat, huius pacti de retrovendendo definitio. Alii a) enim illud conventionem esse dicunt, qua emtor promittit, se venditori aut quandoque, sine certi temporis definitione, aut ad certum tempus vsque, et intra id tempus, rem emtam retrovenditurum, alii autem illud per pactum definiunt, ex quo venditori quandoque, vel intra certum tempus, rem venditam redimere licet, b) vel in quo id agitur, vt venditori, oblato pretio, res iterum restituatur. c) Illi nouam, praeter primam, quae contractui venditionis inest, conventionem, ad contractum retrovenditionis requirunt, et pactum de retrovendendo, ab ipsa retrovenditione accuratius distinguunt, d) denique illud tractatum, qui contractum praecedunt, vicem sustinere, non ipsum contractum, ex quo ad rei ipsius restitutionem agi posset,

A 3

conti

- y) ANT. FABER *de Error. Pragmatic.* P. I. Dec. IX. Err. 5. et P. I. Dec. X. Err. 2. AVG. FR. SCHOTTIVS in *Spec. Iur. Sax. de Praescriptione iuris bona sub pacto retrovenditionis alienata reluendi*, Lips. 1767.
- z) ANT. FABER *de Error. Pragmar.* P. I. Dec. XXII. Err. 3. et P. I. Dec. XXV. Err. 2.
- a) ANT. FABER *de Error. Pragmar.* P. I. Dec. IX. Err. 9. et P. I. Dec. X. Err. 2. HENR. COSELIVS in *Diss. de Emione Venditione*, Th. II. IO. OTTO TABOR in *Diss. de Pacto retrovenditionis*, §. 12. CAR. FR. WALCHIVS in *Diss. de Retrovenditione a laudemii onere libera*, §. 7.
- b) IAC. CUIACIVS ad *Tit. C. de Pact. inter emr. et vendit.* GODOFR. SVEVVS in *Diss. de Emione venditione*, Th. X.
- c) HENR. ZOESIVS in *Comm. ad Pand. Lib. XVIII. Th. III. p. 417.* IO. VOLCKM. BECHMANN. in *Diss. de Pacto redimendi*, Th. I. CONR. CARPZOVIVS in *Diss. de Emi venditi contractu*, Th. XIII. AVCTOR libri qui inscribitur: *Les loix civiles dans leur ordre naturel*, Lib. I. S. XII. §. 6. CHR. PACKVVSCH in *Diss. de Reuenditionis pacto*.
- d) ANT. FABER *de Error. Pragmar.* P. I. Dec. XXIII. Err. 8.



continere censent. e) Hi autem in prima venditione de futura olim retrovenditione actum, eamque ita perfectam esse dicunt, vt, nullo interueniente nouo contractu, venditor, vi pacti primae venditioni adiecti, aduersus emtorem agere possit, vt rem sub pacto de retrovendendo emtam, recepto pretio, restituat.

Nos, qui ex populari vsu

Quem penes arbitrium est, et ius et norma loquendi,

intelligimus, id inter partes actum esse, vt venditori res emta, oblato pretio, iterum restituatur, si hic eandem additis verbis: *bis auf Wiederkauf*, aut *Wiederkäuflich* vendiderit, eorum sententiam sequimur, qui pactum de retrovendendo venditioni adiectum esse docent, quoties res ea lege venierit, vt ea venditori pretium offerenti, iterum restituatur, f) hoc est, vt dominium rei venditae in emtorem iam translatum, oblato pretio, iterum ad venditorem redeat.

Inde hoc pactum de retrovendendo, quod etiam *pactum redimendi, reuendendi, transcribendi, recipiendi*, nec non *retractus conuentionalis* appellatur, g) non diuersum esse censemus ab eo, cuius mentionem faciunt IMP. ALEXANDER, h) in hunc modum rescribens CHARISIO. „*Si fundum parentes tui ea lege vendiderunt, ut siue ipsi, siue heredes eorum emtori pretium quandocunque, vel intra certa tempora, obtulissent, restitueretur, teque parato satisfacere conditioni dictae, heres emtoris non pareret: ut contractus fides seruetur, actio praescriptis verbis, vel ex vendito tibi dabitur, habita ratione eorum, quae post oblatam* „*ex*

e) ANT. FABER *loc. cit.* et P. I. Dec. XX. Err. 9.

f) HENR. ZOESIUS in *Comment. ad Pand.* Lib. XVIII. Tit. III. n. 2. MATTH. BERLICHIVS in *Concl. pract.* P. II. Concl. II. n. 36. IO. BRUNNEMANN. ad L. 2. de *Pactis inter emt. et vend.* AVG. LEYSERVS in *Medit. ad Pand.* Spec. CXCI. Med. 1.

g) IO. VOLCKM. BECHMANN in *Diss. de Pacto redimendi*, Th. I. IO. HENR. BERGERVS in *Diss. de iure ex pacto reuendendi, si vendatur*, quae est inter EIVS *Dissert. selectas* XX.

h) L. 2. C. de *Pactis inter emtor. et vendit.*

„ex pacto quantitatem, ex eo fundo ad aduersarium peruenerunt“ et IMPF. SEVERVS ET ANTONINVS, *i*) his verbis videntes: *Si probare poteris patrem pupilli, cuius tutores conuenisti, consensisse, ut reddito tibi praedio, pretium reciperet: id, quod conuenit, seruabitur*“ licet, si rem accuratius consideraueris, hoc ipsum SEVERI ET ANTONINI rescriptum ad pactum potius de reemendo, siue de redhibendo, *k*) quod emtoris gratia initur, quam ad pactum de retrouendendo, quod in fauorem ipsius venditoris adiicitur, pertineat.

Subtilius quidem philosophatur ANTONIVS FABER *l*) qui pactum de retrouendendo, a pacto de restituendo rem emtam, pretio vicissim emtori restituto, distinguit, et docet pactum de retrouendendo, neque rem inemtam, ipso iure facere, neque sine retrouenditione et subsecuta rei ipsius retraditione, ad transferendum dominium ab emtore in venditorem habile esse; pactum autem de restituendo, ipso iure quidem rem inemtam non facere, habile tamen esse ad transferendum dominium, si ipsius rei traditio interueniat, licet nulla noua venditio praecesserit: At idem fatetur, *m*) vtriusque conuentionis eisdem effectus esse, et emtorem, siue ex pacto de restituendo, siue ex pacto de retrouendendo, rem emtam venditori restituat, fructus retinere, quos dum rem possideret, vt dominus, percepit, eumque nihil omnino ex his ipsis fructibus restituere debere. Efficere enim bonam fidem, vt emtor, qui pretium venditori soluit, eoque per aliquot tempus caruit, rem autem ipsam bona fide iusloque titulo possedit, fructus etiam rei emtae lucretur, nisi verba conuentionis obstant. Haec autem non ob stare videntur, si res sit restituenda, vel retrouendenda, emtori vero nocere censentur, si res ea lege venerit, vt pretio quandoque restituto, inemta esset, cum nullum effectum ea, quae inita est, venditio ex ipsa partium conuentione habere videatur.

Ex

i) L. 1. C. Quando decreto opus non est.

k) L. 31. §. 22. de Aedil. Edicto.

l) ANT. FABER de Error. Pragmatic. P. I. Dec. XXV. Err. 2. et P. I. Dec. XXII. Err. 3.

m) ANT. FABER in Error. Pragmat. P. I. Dec. XXII. Err. 3.



Ex quo iam patet totam controuersiam ad id redire, vtrum, si pactum de retrouendendo accesserit, retrouenditio iam ita perfecta sit, vt rei traditione consummari debeat, an de ea olim contrahenda inter partes tantum actum esse videatur. Hoc affirmat FABER, nos autem negamus, quia ex hoc ipso pacto de resoluendo quandoque contractu, actio venditi oritur, *n)* quae ex solis contractuum praeparatoriis, siue tractatibus, dari vix solet.

Ex nostra igitur sententia, venditio, cui pactum de retrouendendo adiectum est, pure quidem contrahitur, et subsecuta ipsius rei traditione, rei dominium eodem modo in emtorem transfert, ac si sub lege commissoria inita fuisset, eueniente tamen casu et conditione, si venditor scilicet iure suo vti, pretiumque emtori reddere velit, ex ipsius pacti adiecti resolutiui vi atque potestate, ita resoluitur, vt res emta emtorique tradita, oblato eius pretio, iam venditori sit restituenda, neque emtor se ab hac ipsa suscepta obligatione, inuito venditore, praestando id, quod interest, liberare possit, *o)* immo ea potius, quae post oblatam ex pacto quantitatem, ex re ipsa ad eum peruenerunt, restituere debeat. *p)* Pactum enim hoc de retrouendendo conditionem quidem continet, si pretium offeratur, sed haec ipsa conditio non est suspensiuua, sed resolutiuua: „*Magis enim est,*“ vt verbis VLPIANI *q)* in rem nostram, vtamur „*et sub conditione resolui emtio, quam sub conditione contrahi videatur.*“ Neque probari potest ANTONII FABRI sententia, qui negat emtorem, si is sub pacto de retrouendendo emerit, ad ipsius rei traditionem adigi posse, eumque ad id, quod interest, tantum conueniri posse, censet. *r)* Nam in hanc

n) L. 2. C. de Pactis inter emtor. et vendit. cfr. ANT. PEREZIVM in Comment. ad Codic. Lib. IV. Tit. LIV. n. 14.

o) ANDR. TIRAQUELLVS de Retractu conuentionali, Gloss. 7. n. 60. FRANC. ZOANNETTYS in Tr. de Emptione venditione, n. 71 sq. LVD. MENCKENIUS in Diss. de Venditore ad rei venditae necessariam traditionem obligato, §. 27.

p) L. 2. C. de Pactis inter emtor. et vend.

q) L. 1. D. de Lege Commiss. cfr. L. 2. §. 3. D. Pro emtore.

r) ANT. FABER de Error. Pragmat. P. 1. Dec. XXII. Err. 4.

hanc actionem, quae ex pacto contractui bonae fidei adiecto, igitur ex ipso contractu, cui pacta adiecta formam dant, *s)* oritur, id ducitur, quod praestari conuenit, cum sit bonae fidei iudicium, nihilque magis bonae fidei congruat, quam id praestari, quod inter contrahentes actum est, igiturque ipsam rem praestare, id est, tradere, *t)*

Similitudinem habet haec, quae sub pacto de retrouendendo initur venditio, cum iis venditionibus, quibus vel pactum additionis in diem, vel lex commissoria, vel pactum, ut res sit inempta, si intra certum tempus pretium solutum fuerit, vel pactum protimiseos, siue reuendendi, si vendatur, accedit. Nam in his etiam venditionibus pactum in fauorem venditoris adiicitur, eiusque arbitrio committitur, an hoc, quod ex pacto ei competit iure, uti velit, nec ne; *v)* denique rei venditae ac traditae dominium iterum ad eum redit, si iure suo uti velit, resque ipsa eidem iterum tradatur. At nihilofecius ab his omnibus etiam venditionibus, differt ea, quae sub pacto de retrouendendo initur. Si enim ipsa, existente conditione, pretioque oblato, resoluitur, haec, quae iam existit, conditio resolutiua efficit, ut venditio non valeat ex eo tempore, quo pretium venditor rite obtulit, ideoque ex hoc ipso demum tempore nullos sortiatur effectus, licet emtor vsque ad tempus existentis conditionis plenus rei emtae sibi que traditae dominus fuerit, fructusque retineat, quos per hoc ipsum tempus iure dominii percepit, indeque, quae rite contracta est venditio, ex nunc, non ex tunc, ut verbis pragmaticorum utamur, resoluitur. *x)* Id enim partes egisse videntur, ut emtor, in quem rei dominium translatum est, fructus, quos eo tempore percepit, quo emtio nondum resoluta est, sibi haberet. Et quamuis in hac ipsa causa, ea, de qua agimus venditio, sub pacto de retrouendendo contracta, conueniat cum ea, quae fit sub pacto protimiseos, in eo tamen ab hac differt, ut pactum de retrouendendo, emtori oblato pretio necessitatem

s) L. 7. §. 5. D. de Pactis.

t) L. II. §. 1. et 2. D. de Action. emr. §. 3. I. de Donat.

v) L. 2. et 3. D. de Lege Commiss.

x) GODOFR. LVD. MENCKENIUS in Diss. de Rescissione emrionis venditionis ex tunc et ex nunc.



rem imponat, reuendendi, siue rem restituendi, pactum autem proximifcos effectum demum sortiatur, si emtor rem iterum vendere velit, neque eundem aliqua vendendi necessitate adstringat, eiusque arbitrio permittat, vtrum rem ipsam retinere, an vendere velit. 1) Reliqua autem omnia, quorum supra mentionem fecimus pacta, quae venditionibus saepius adici solent, efficiunt, vt si conditio, quam continent, euenerit, et in pacto additionis in diem, melior conditio inueniatur, in lege commissaria, pretium iusto tempore non soluatur, et in pacto, vt res inempta sit pretio soluto, pretium emtori reddatur, vel nulla omnino videatur contracta venditio, vel ita resoluatur, vt nullum plane commodum apud emtorem remaneat, sed is rem, quam emit, vna cum fructibus, quos percepit, venditori restituere debeat. 2)

Ex his autem, quae de notione venditionis sub pacto de reuouendo contractae disputauimus, sequitur, emtorem, qui sub hoc ipso pacto rem emit, *bis auf Wiederkauf*, aut *Wiederkäuflich*, in id consensisse, vt rem emtam, cuius dominium subsecuta traditione nactus est, venditori, si is pretium obtulerit, restitueret, contrahentes autem per hoc ipsum pactum, nouam quasi venditionem sub conditione, si pretium offeratur, eo tempore iniisse, quo priorem celebrauerunt, a) quae noua venditio, licet in priore contineatur, eiusque pars esse videatur, b) eueniente tamen casu demum, et oblato pretio, ex ipsius pacti vi et potestate, per redditionem rei emtae consummanda est. Pactum enim ab initio puram quo, consensus pacifcentium mutuis in idem placitum, vt scilicet res emta transquedata emtori acquireretur, nullo adiecto euentu futuro incerto determinatur, et quod in prima venditione pure contracta adest, non impedit quominus

1) IO. HENR. BERGERVS in Diff: *de iure expacto reuendendi, si vendatur* et GEORG. SAM. MADIHN in Diff: *de iure Proximifcos eiusque a iure retractus discrimine* §. 6

2) ANTON. FABER de *Error. Pragmar.* P. I. Dec. XXII. Err. 2.

a) CHR. THOMASIVS in Diff: *laud.* C. III. §. 1.

b) L. 7. §. 5. D. de *Pactis* L. 72. D. de *contrab. emt.* L. 21. §. 4. D. de *Action. emti.*

minus huic consensui puro in idem placitum, eodem tempore, conventio, quae sub futuro incerto euentu, qualis est, si pretium offeratur, resolutionem eius consensus definiat, ideoque pactum conditione resolutiua auctum, quale est pactum de retrouendendo, adiciatur. *c)* Ex hac autem causa venditor, qui pactum de retrouendendo contractui adiecit, nullo interueniente nouo contractu, existente casu, sub quo prior emtio finitur, actione venditi contra emtorem experiri potest, vt hic legi pareat, quae emtioni adiecta fuit, igiturque ex hoc ipso pacto, rem emtam, pretio accepto, sibi iterum restituat. *d)* Nam venditi actio venditori competit ad ea consequenda, quae ei ab emtore praestari oportet, *e)* et, si ab initio hoc conuenerit, ad rescindendam etiam perfectam venditionem, *f)* quia tunc haec ipsa, quae ex pacto petitur, prioris contractus resolutio, magis ipsius executio, quam in specie sic dicta resolutio esse videtur. *g)*

Sin autem nobis concedatur, per pactum de retrouendendo venditioni adiectum, contrahentes in ipsam retrouenditionem, oblato quandoque a venditore pretio, consensisse, et in hunc ipsum casum et euentum nouam inuisse venditionem, quam sententiam probare videtur Edictum Saxonicum, de praediis eo tempore venditis, quo viliori deprauataque moneta utebamur, quod iussit, vt in aestimando monetae valore, si fundus ex pacto de retrouendendo priori possessori reddendus esset, ad tempus ipsius contractus respiceretur; *h)*

B 2
necessè

- e)* IUSTINVS SCHIERSCHMIDT in Diss. III. de Imputatione culpa, circa venditionem §. 5.
d) L. 2. C. de Pactis inter emtor. et vend. cf. MATH. BERLICHIVS in Concl. pract. P. II. Concl. II. n. 36. PETR. MVLLER ad STRVVII Synagm. Iur. Ciuil. Exerc. XXII. §. 43. not. 7.
e) L. 13. §. 19. D. de Action. emri.
f) L. 75. D. de contr. emr. L. 16. D. in diem. addid. L. 4. pr. D. de Lege commiss. L. 6. et L. 11. §. 6. C. de action. emri.
g) IOACHIM. MYNSINGERVS in Obseru. Cent. VI. Obs. LXIX. n. 8. Io. VOETIVS in Comm. ad Pand. Lib. XVIII. Tit. III. §. 7.
h) v. Mandatum wegen Bezahlung derer, während der Münzverzerrung, angestellten Verschreibungen, d. d. Dresdae d. 18. Iun. MDCCCLXIII. §. 7.



neceſſe eſt, vt ſtatueamus, partibus in hac ipſa conditionali venditione, illud pretium placuiſſe, de quo in priori venditione pura actum eſt, niſi ſigillatim in hunc ipſum caſum pretium definiuerint. Sine pretio enim nulla intelligitur venditio, *i)* quippe quae, ſi partes in hoc ipſo pretio diſſentiant, nondum perfecta videtur, *k)* ita, vt ne ipſa quidem huius pretii determinatio, ex IUSTINIANI lege, *l)* incerti cuiusdam hominis, vel boni viri arbitrio, ſcommitti poſſit. Hinc, niſi de eo conuenerint pretio contrahentes in noua et euentuali conditione, quod in priore expreſſum eſt, cum de alio eos conuiſſe ex ipſius contractus verbis non pateat, dicendum eſſet, nullam inter eos contractam eſſe retrouenditionem, indeque de ipſius retrouenditionis pretio fruſtra queri, neque etiam pretium, quod nondum definitum eſt, a venditore emtori offerri poſſe, quo tamen oblato demum, res emta venditori ex ipſius contractus lege reſtitui debet. *m)*

Nec obſtat huic ſententiae, quod illud pretium, quo res primum emta eſt, mutata temporum conditione, iam non conueniat illi tempori, quo ex pacto de retrouendendo res ipſa eſt reſtituenda, indeque haec retrouenditio emtorem laedere videatur, qui aucto rerum pretio, eandem rem, quam olim viliori pretio emit, iam multo cariore pretio aliis vendere potuiſſet. Nam quoties de laeſione queritur, non ad illud tempus reſpiciendum eſt, quo res ex venditionis lege emtori traditur, ſed ad id, quo partes ipſius rei pretium definiuerunt, *n)* ex qua ipſa cauſa is de laeſione conueniri non poteſt, qui ex pacto de retrouendendo rem iam reſtituit, ſi illud pretium accipiat, quod eo tempore, quo contraxit, ſiue quo per pactum de retrouendendo nouam quaſi iniiit venditionem, rei ipſae conuenire videbatur, praefertim

i) L. 2. §. 1. et L. 72. D. de contrab. ems. L. 9. C. eod.

k) L. 9. pr. D. de contr. ems.

l) L. 15. C. de Contr. ems.

m) L. 2. C. de Pactis inter ems. et vendit. cf. IOACHIM MYNSINGER in Obſerv. Centur. VI. Obſ. L. et IVST. HENN. BOEHMER in Conſult. T. I. P. II. Reſp. CXXVI.

n) L. 69. de contrab. ems. et L. 8. C. de reſcindend. vendit.

sertim cum ne iustum quidem eius rei pretium iniri possit, quae sub pacto de retrouendendo venditur, cum hoc ipsum pactum rei pretium minuat, illaque sine hoc onere multo carius vendi potuisset. Quare etiam plures docent, eam, quae sub pacto de retrouendendo sit, venditionem, ex capite laesionis impugnari non posse. o)

Suadent etiam, vt idem partibus in retrouenditione pretium placuisse censeamus, quò res primum venit, ea argumenta, quibus ad corroborandam hanc ipsam sententiam vtitur ZOANNETTUS, p) quod viliori scilicet pretio res, propter retrouenditionis pactum, vendatur, aequitasque ipsa iubeat, vt, ne venditor ex hoc ipso contractu damnus, emitòr autem lucrum sentiat, res ipsa venditori, reddito eo, quod accepit, pretio restitatur, et vt dubium pactum, ex verbis, quae illud praecedunt, ideoque arctiori vinculo eidem iunguntur, interpretationem accipiat, regulaque a BARTOLO q) tradita, multarumque legum auctoritate firmata, r) ad hanc etiam causam transferatur „in pluribus scilicet rebus, per eandem orationem copulatis, qualitatem vni adiectam in alia repetitam videri, dummodo qualitas vna eademque sit et genere et numero, quae uniformiter vtrumque in oratione copulatum respicere possit.“ s) Nam cum pactum de retrouendendo, cum ipsa prima venditione, cuius pars esse censetur, cohaereat, idem pretium in hoc pacto repetitum videtur, de quo in ipsa venditione partes conuenerunt, cum haec ipsa qualitas vtramque causam commode respicere possit.

Fauet praeterea partibus venditoris, ex pacto de retrouendendo rem, quae eius antea fuit, repetentis, illudque, quod olim ipse accepit, pretium offerentis, hoc, quod in ipsa, quae iam con-

B 3

sum.


o) IVST. HENN. BOEHMER in *Consult. T. II. Resp. CCLXXXV.*

p) FRANG. ZOANNETTUS in *Tr. de emptione et venditione n. 117. lqq.*

q) BARTOLVS in *Comment. ad L. 20. §. 2. D. de instructo, vel instrum. legat.*

r) *L. 3. pr. et L. 20. §. 2. D. de instructo vel instrum. L. 61. D. de Fid. dej. et mandat.*

s) BARTOLVS *l. c.*



consummari debet retrovenditione, is, qui rem sub pacto de retrovendendo emit, eandemque iam reddere debet, ipsius venditoris locum tenere videatur, et ob hanc ipsam causam, verba in contractu posita, ei magis, quam aduersario, eius, nocere debeant. 7) Hic enim, dum cariore pretio rem distrahere vult, quam viliori olim accepit, ex hoc ipso contractu commodum querit, indeque sibi imputare debet, quod aliud pretium non definiuerit, neque sibi melius prospexerit, caueritque, vt secuta quandoque retrovenditione illud pretium solueretur, quod illi tempori conueniret, quo res emta esset restituenda. Interpretatio autem pacti obscuri contra eum fieri debet, qui commodum ex hoc pacto quaerit, et ob hanc ipsam causam clarius loqui debuisset, cum in re obscura melius sit, fauere repetitioni, quam aduentio lucro. 8) Neque ferendus est is, qui id petit, cuius contrarium in contrarium euentum non erat postulaturus. 9) Emptor vero, pretio fundi temporum iniuria iminuto, si eundem iam ex emtionis lege retrovendere debeat, non vilius certe, sed idem, quod ipse olim persoluit pretium, petiturus est. Ipsa igitur aequitas, ex cuius lege, venditor et emptor in hac ipsa causa pari iure censentur, suadet, vt casus, per quem rei emtae pretium auctum imminutumue est, neque emptori, neque venditori noceat. 10) Noceret autem venditori, si pretio rei ex temporum conditione aucto, eandem carius redimere deberet, quam eandem vendidit. Nam licet etiam emptor interdum, si pretium rei imminutum sit, neque venditor rem, quod in eius arbitrio positum est, redimere velit, ex hoc casu damnum sentiat, hoc tamen damnum non ex ipsa conuentione sentit, sed ex eo, quod emptor ipsius rei dominium, licet reuocabile, 11) consecutus sit, et omne

- 12) L. 39. D. de Pact. l. 21. et L. 33. D. de contrab. emr. L. 271. D. de Reg. Iur.
 13) L. 41. §. 1. D. de Reg. Iur. v. IUST. HENN. BOEHMER in Diss. de Interpretatione facienda contra eum, qui clarius loqui debuisset. §. 20.
 14) arg. L. 24. C. de Solut. et liber.
 15) MICH. GODOFR. WERNHER in lectiss. Comment. ad Pandectas L. XVIII. Tit. 1. §. 34.
 16) IOACH. MYNSINGERVS in Observ. Cent. VI. Obs. LXX. et JO. PHILIPP. SLEVOIGT in Diss. de dominio reuocabili §. 25.

commodum et in commodum, quod rei venditae contingit, ad eundem post pure contractam venditionem pertineat. *a)* Quod argumentum in venditorem retorqueri nequit, cum is, licet in ipsa retrovenditione emtoris locum teneat, periculum rei non sentiat, quia sub conditione, si pretium obtulerit, rem emit, deficiente autem conditione, nulla omnino sit emtio, ideoque pendente conditione, periculum ad eundem non spectet. *b)*

Firmat etiam eam, quam protulimus sententiam id, quod sub venditione, cui pactum de retrovendendo adiectum est, saepius pactum antichreticum lateat, *c)* et magno damno afficiatur is, qui rem, reseruata sibi luendi potestate, viliori pretio vendidit, si non solum fructibus suae rei diutius carere, sed eandem etiam multo carius, quam vendidit, emere debeat. Constat enim inter omnes, Germanos veteres hanc ipsam, quae sub pacto de retrovendendo fieri solet, venditionem ignorasse, et si mutuum quaererent pecuniam, creditoribus suis fundos oppignorasse, hac lege, vt creditor, donec pignus possideret fructus ex eodem perciperet, *d)* soluto autem debito, rem oppignoratam iterum debitori redderet; *e)* denique, introducto demum iure canonico, quod eum qui vsuras accepisset, rapinam facere censet, *f)* et pactum antichreticum reprobat, *g)* venditiones sub pacto de retrovendendo iniisse, vt hanc ipsam iuris canonici feueritatem eluderent. *h)* Hinc obseruante THOMASIO *i)* et PUFFENDORF-

FIG

a) L. 1. et L. 5. C. de Periculo et commodo rei venditae.

b) L. 8. pr. D. de Periculo et commodo rei vend.

c) FR. ESA. PUFFENDORFFIVS in *Obs. iur. vni.* T. III. Obs. LVJ.

d) HENR. CHR. SENCKENBERGIVS in *Select. Iur. et Hist.* T. IV. p. 211.
PAVL. MATH. WEHNERVS in *Obs. practic. v. Pfand-Schilling.*

e) CHR. THOMASIVS in *Diff. laud.* C. II. §. 28.

f) C. 10. *Caus. XII. Qu. 5.*

g) C. 4. et 6. X. de Pignor. C. 33. X. de Iureiur. C. 1. 2. 8. 16. X. de Usuris. v. IYST. HENN. BOEHMER in *Iure Eccles. Proresl.* L. V. Tu. XIX. §. 40.

h) CHR. THOMASIVS in *Diff. 1.*

i) CHR. THOMASIVS in *Diff. 1.* cf. PAVL. MATH. WEHNER in *Obs. voc. Ablösung.*



FIG k) hodie etiam pignus antichreticum, ab emtione sub pacto de retrouendendo inita, parum differt, et vterque contractus non solum eundem fere finem habet, sed eosdem etiam effectus fortitur. Indigentia enim pecuniae numeratae efficit, vt quis rem suam sub pacto de retrouendendo vendat, vel eandem alteri per pactum antichreticum vtendam concedat, et in vtroque contractu hoc agitur, ne debitor resua in perpetuum careat, sed vt eandem, reddita olim, quam accepit pecunia, redimere possit, creditori autem intuitu pecuniae, quam mutuum dedit, securitas quaeratur. Haec cum ita sint, et cum ii plerumque, qui nec mutuum pecuniam, nec iustum rei pretium facile inuenire possunt, res suas viliori pretio vendant, sibi quoque pacto de retrouendendo prospiciant, haec ipsa autem conventio, quae emtori necessitatem rem iterum restituendi imponit, pretium rei minuat, l) et pars pretii esse videatur, m) denique leges nostrae plus fauent iis, qui de damno vitando certant, remque, quae eorum ante fuit, repetunt, quam iis, qui commodum ex aliqua re quaerunt aduentitium, n) et in obscuris, quod minimum est, sequantur: o) digniores omnino, quibus succurratur, videntur ii, qui oblato eodem, quod acceperunt, pretio, rem antea venditam repetunt, quam illi, qui ex eiusdem rei emtione commodum quaerunt aduentitium. Hi enim in mutata tantum temporum conditione praesidium quaerunt, illis autem, plura, quam supra iam adtulimus argumenta, fauent. Haec ipsa, nisi egregie fallimur, argumenta, ex ipsius contractus natura desumpta, etiam Pictones mouerunt, et Iureconsultos Saxonicos, qui consultationes ad constitutiones AVGVSTI Electoris conscripserunt, vt hanc ipsam sententiam, quam nos probauimus, sequerentur, et nullo definito futurae retrouenditioni pretio, illud partibus placuisse censerent, quod in prima eiusdem rei venditione, cui pactum de retrouendendo accessit, definiti-

k) FRID. ES. PVEFFENDORFFIUS in *Obs. Iur. vnus* T. II. Obs. LXXXV. et T. III. Obs. LVI.

l) arg. L. 6. D. de *Seruis exportandis*. v. ANTON. FABER de *Error. Pragmat.* P. I. D. X. Err. 10.

m) L. 79. D. de *contrab. emr.* L. 21. §. 4. D. de *Action. emri.*

n) L. 41. §. 1. D. de *Reg. Iur.* o) L. 9. *et* L. 34. D. *cod.*

definitum est. In iure enim Pictonum, referente ANDREA TIRAQUELLO, p) haec verba leguntur. „Quand aucun a donné grace de retraict par convenance, & en icelle grace ou conuenance n'est faicte mention, quelle chose, ou somme on doit payer ou bailler pour le dict retraict, c'est a entendre, que l'on doit payer & bailler pour iceluy retraict le sort & pris contenu au contract de la vendition, avecque les arrierages, qui en sont escheuz & deuz, quand la dicte vendition est de rente, comme dict est. Et en cas de refus dudict retraict doit l'on consigner iceux arrierages avecques le sort. Et aussi celuy, qui faict le dict retraict, est tenu de payer les loyaux coustemens. Mais il n'est pas tenu, de les consigner“ i. e. „Cumquis rei redimendae ex pacto facultatem fecerit, nec in pacto expressum sit, quanti ea res debeat redimi, tenebitur retrahens ad solutionem sortis, siue pretii, in contractu venditionis expressi, vna cum reliquis, quorum solutionis dies cessit, si de pensionis venditione agatur. Debentque emtore retractum recusante, huiusmodi reliquiae consignari vna cum sorte. Atque etiam tenetur retrahens legitimas impensas refundere, non tamen eas consignare.“ AVCTORES autem CONSVLATIONVM SAXONICARVM his verbis vtuntur: q) „daß gegen Anbietung des Kaufgelds und Erfetzung beweislicher Besserung der Käufer oder seine Erben — solches Gut abzutreten schuldig“ item: r) „Ob man in Wiederkauffen das Kaufgeld, nach der Zeit des vorerst getroffenen Kaufs, oder nach Zeit des Wiederkauffs anschlagen soll? Ob es wohl disputirlich, dennoch so halten wir es, daß es nach der Zeit des ersten Kaufs, das Geld sey anzuschlagen“ nec non in Quaestione. s) „Nach welcher Zeit das Kaufgeld zu richten und anzuschlagen, wenn jemandts etwas vermög einer Gewohnheit, oder vermög einer sonderlichen Vergleichung, die Chur zum Gut oder Geld gebühret? Wir halten, daß wenn solche Gerechtigkeit nicht aus vorigen Contract, sonder Gewohnheit oder sonsten herfleusst, daß es anzuschla-

p) ANDR. TIRAQUELLVS de retractu conuenionali, §. 6.

q) Illustres, aureae solemnes diuque exoptatae Quaestionum variarum apud Iuris vtriusque inuicemque controuersarum Decisiones et Discussiones P. I. Qv. I. Fol. 1 b.

r) *ibid.* P. I. Qv. XL. Fol. 40 b.

s) *ibid.* P. I. Qv. XLI. Fol. 40 b.



„schlagen, nach der Zeit, da die electio in esse kommen, und ihre Kraft
 „erreicht. — Wann aber einem die Chur aus vorigen Contract gebührt,
 „als dem jüngsten Sohne, so achten wir dies gleich wie im Wiederkauff,
 „also auch diesfalls das Geld anzuschlagen und zu richten sey, nach der
 „Zeit der ersten Vergleichung, da die Chur vorbehalten worden. — Es
 „wäre dann ausdrücklich versehen, daß die Wahl sollte nach jetzigen Werth
 „der Zeit, wenn sie geschehen wird, gereicht werden.

Propositis igitur iis argumentis quae suadent contrahentibus, qui pactum de retrouendendo inierunt, idem pretium in retrouenditione placuisse, quo res prima vice emta est, examinanda iam essent ea, quae contrariae sententiae fauere videntur, et quibus vtuntur ii, qui illud pretium soluendum esse censent, quod rei eo tempore conuenit, quo ex pacto de retrouendendo reddi debet, vt audita vtraque parte, de tota hac lite iusta sententia dici possit. At iam id agendum est, cuius rei causa haec scripta sunt. Quare huic argumento non diutius immorabimur, sed ea, quae dicenda sunt, alia, quae mox speratur, occasione exponamus. Nunc enim indicenda sunt solemnina inauguralia

VIRI

PRAESTANTISSIMI ATQVE DOCTISSIMI

ERNESTI FRIDERICI PFOTENHAVERI,

DELITIO-MISNICI,

IVRIVM CANDIDATI DIGNISSIMI,

qui vitae fata his verbis exposuit:


*E*go, ERNESTVS FRIDERICVS PFOTENHAVER, natus sum Delitii, anno huius saeculi LXXI., die 7. Iunii. Pater meus, HENRICVS FRIDERICVS SAMVEL; FRIDERICI CHRISTOPHORI, Poligraphi, Curiae Prouincialis et Consistorii Vitebergensis Aduocati, filius, nunc in arce Electorali Wernsdorfensi, prope villam Hubertiburgensem, viuit, eique munus Inspectoris et reddituum fiscalium Administratoris in Praefectura Mutzschenensi una cum Grimmenensi demandatum est. Matrem habui CAROLINAM FRI-

FRIDERICAM, IOA. HENRICI VOGELII, *Medicinae Doctoris et Consulis Lützeuensis, filiam.* Sed, ea iam ante octo annos praematura morte mihi erepta, maxima usque ad hoc tempus a Patre Optimo beneficia in me redundarunt, quem, ut diuinum Numen omni felicitatis genere ornatum per longam annorum seriem sospitem seruet atque incolumem, omni pietate precor. A prima infantia non solum scholae oppidanae Delitiensi interfui, sed etiam priuatim a Praeexcell. KRETZSCHMARO, huius scholae Rectore meritissimo, iis artibus, quibus puerilis aetas informari solet, imbutus sum. Anno huius saeculi LXXXV. in numerum alumnorum scholae Prouincialis Portensis receptus sum, ibique sub ductu et auspiciis Virorum Praecellentissimorum GEISLERI, b. BARTHII, b. EIFERTI, HILDEBRANDI, WEISKII, LIEBELII et SCHMIDTII, per quatuor annos literas, quae ab humanitate nomen habent, colui. Sic ad altiora praeparatus, anno huj. saec. LXXXVIII. Vitebergam me contuli, atque Viro Magnif. et Exper. BÖHMERO, eo tempore fasces Academiae tenenti, promissionem praestiti, antea iam ab Ill. PAULI albo ciuium academicorum adscriptus. Ab eo tempore scholas philosophicas S. V. REINHARDI, et historicas Excell. SCHRÖCKHII frequentavi. Deinde Ius Naturae, Ius Germanicum, cum Publicum, tum Priuatum, Ius Canonicum et Artem Relatoriam me docuit Ill. WIESANDIUS, in Pandectis Ill. KLÜGELIVM, in Institutionibus Ill. HOMMELIVM, et in Historia iuris Ill. WERNSDORFFIVM praeceptores habui. Praeterea quoque vsus sum institutione aliorum Doctorum, Processum enim ex Iur. Conf. MENKENIO, Artem Relatoriam ex Iur. Conf. FHALWITZERO, Pandectas ex Iur. Conf. STÜBELIO, audiui et exercitationibus Disputatoris Iur. Conf. KOHLSCHÜTTERI interfui. Anno 1793. Disputationem: Vtrum et quatenus, quis legibus, praesertim prohibitiuis, renunciare possit, scripsit, ac Praeside Ill. WIESANDIO publice defendi. Huic tanto viro non ea solum, quae in scholis ab eo didici, sed multa etiam alia debeo; nam, cum aditus ad eum mihi semper pateret, sapientissimis me, consulentem ipsum, instruxit consiliis, ita, ut eius beneuolentiam inter maxima vitae meae commoda referam. Peractis studiis academicis, examen pro Praxi et pro Candidatura subii, et ab Ill. ICtorum ordine optimo elogio ornatus sum. Confectis deinde et approbatis, quae ab Aduocato exiguntur, speciminibus, a Sauctiori Redituum Fiscalium Collegio, vices Actuarii in Praefectura Electorali



Forali Vitebergensi suscipiendi, veniam consecutus sum, ibique per annum ad labores forenses me praeparavi. Simul vero per duos, et quod excurrit, annos Historiam Iuris, Ius Saxonicum Publicum, Ius Naturae, et Processum in hac Academia docui; nec non Artem Relatoriam pro viribus tradidi. Quo plures vero difficultates ac molestiae a iuvene, qui hoc vitae genus eligit, superandae sunt, eo libentius gratum animum erga Principem Serenissimum profiteor, cuius munificentia res meae auctae sunt. Praeterea quoque ante annum Elementa iuris Criminalis Saxonici, Lipsiae edidi. Denique, ut fructus studiorum meorum eo melius colligere possem, Illustrem Ictorum Ordinem humanissime rogavi, ut, examine quod rigorosum dici solet superato, summos in utroque iure honores mihi tribueret.

Is in utroque, quod subiit, examine, tam praeclaram in arte nostra scientiam ostendit, ut eum dignissimum censeremus, cui summi in iure honores tribuerentur. Fiet hoc proxima die Lunae, quae erit XIII. Iulii huius anni, dummodo ex more maiorum ex cathedra publica defenderit Dissertationem, inauguralem. Hanc de Iudiciis a quibus et ad quae prouocare licet in terris Electori Saxoniae subiectis conscripsit, eamque sine Praefide defendet. Singularem enim SERENISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS SAXONIAE indulgentia factum est, ut Candidatus nosler ab ea lege solueretur, quae omnes in cathedram primum procedentes, nisi laurea iam ipsi ornati sint, certaminis arbitrum adhibere iubet. Nulli dubitamus, quin in hoc nouo etiam specimine Candidatus nosler, variam, qua imbutus est, doctrinam sit comprobaturus. Quare ut RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, ILLUSTRISSIMI COMITES, OMNESQUE DIVINARVM HUMANARVMQUE LIBERARVM DOCTORES, nec non GENEROSISSIMI ac NOBILISSIMI ACADEMIAE CIVES, denique OMNES, QUI LITTERIS FAVENT, huic Panegyri interesse, eandemque honorifica praesentia sua ornare velint, et meo, et Ordinis mei nomine, perobseruanter rogo. P. P. Vitebergae Saxon. Dominica VI. post Fest. Trinitatis A. O. R. MDCCXCV.





ULB Halle 3
001 558 609



7A-506







73.
1795 8
33

ORDINIS IVRIDICI

IN

ACADEMIA WITTEBERGENSI

H. T.

DECANVS

GOTTLIEB WERNSDORFFIVS

PHILOSOPHIAE ac IVRIVM DOCTOR, INSTITVTIONVM
IMPERIAL. PROF. PVBL. ORD. CVRIAE PROVINCIALIS,
SCABINATVS ET FACVLTATIS IVRIDICAE
ASSESSOR

LECTORI BENEVOLO SALVTEM.

